



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Ecclesiae Paderbornensis

Dietrich <Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1602

De Interdicto.

urn:nbn:de:gbv:23-drucke/s-483a-2f-helmst3

13. Suspenduntur ab officio prædicationis omnes reli-
giosi, qui postquam fuerint requisiti per rectores ecclesiarū,
scienter omiserint facere conscientiam confitentibus de
decimis soluendis.

14. Suspenduntur ipso factu Clericiab officij executione,
qui recipiunt ad communionem vel oblationem altaris
manifestos usurarios.

DE ABSOLVIONE A SUSPENSIONE

Suspensus simpliciter à iure, potest ab Episcopo absolui,
nisi canonis conditor sibi reseruet: Si vero suspensus est ab
homine, absoluet qui eam tulit, vel superior.

Hec, quæ de suspensione dicta sunt, quia pertinent potius
ad Clericos quam laicos, docent pastores non tam
quomodo audiant confessiones aliorum (nisi forsitan Eccle-
siasticorum) quam quomodo ipsi faciant suam, ut videlicet
peccata propria cognoscant & vitent.

Suspensus tenetur communiter abstinere ab eo, à quo
suspenditur, vel à quo prohibetur sub pena peccati mor-
talis, imò etiam sub pena irregularitatis, si diuina officia ab
illis suspensus, celebrare præsumat.

DE INTERDICTO

1. Interdictum ecclesiasticum est quædam prohibitio quæ-
do in aliquaterra vel Ecclesia, vel personæ interdicatur admis-
tratio sacramentorum, vel diuinorum officiorum cele-
bratio, siue exsecutio aliquorum spiritualium.

2. Interdictum est triplex, locale, personale, locale &
personale simul.

Locale ut quando interdicatur ciuitas, prouincia, &c. hoc
est, quando prohibetur homines ibi habitantes à certis sacra-
mentis ibi accipiendis, & à sepultura, & ne clerici ibi publicè
celebrare & sacramenta conferre possint.

Personale, quando populus, clerus, collegium, &c. inter-
dicatur.

Locale & personale simul quando locus & personæ si-
mul sunt interdicta.

2. No.

3. Nominatim interdicti sunt vitandi in diuinis à clericis celebrantibus, sicut excommunicati, non autem extra diuinna.

Celebrans ergo si admittit aliquem interdictum ad diuinna, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiae.

4. Nemo tenetur seruare interdictum ecclesiasticum à iure vel ab homine generaliter promulgatum, nisi talis sententia fuerit contra personam, collegium, ecclesiasticam cōmunitatem, vel locum certum à iudice publicata vel denunciata specialiter & expresse, non obstantibus quibuscumque in contrarium.

Quia ergo in his locis rarus est huīus interdicti usus & ante denunciationem per iudicem faciendam nemo peccat non seruando, non videtur necesse plura addere.

Ecclesiastica interdicta non indigent reconciliatione, sed interdictum nudo verbo potest tolli dicendo: Reuoco, vel remoueo, vel absoluo. Non enim opus est aliqua forma certa verborum.

DE VIOLATIONE ECCLESIARVM.

Quibus modis sic polluantur, ut reconciliatione indigeant.

1. Ex effusione sanguinis magna & iniuriosè facta in Ecclesia, si factum est publicum, quod si vnum ex his desit, non polluitur.

2. Polluitur & ex homicidio voluntario sine sanguine, vt si fur suspendatur, &c. non autem ex homicidio fortuito, verbi gratia, lapide cadente de pariete, aut petra vel trabe detecto.

Si quis percussus in Ecclesia extra moriatur, est polluta Ecclesia, non contra. Si quis supra Ecclesiam, vt pote si quis infra tectum, & supra testudinem aut supra tectum interficiatur, quia fit extra, non polluitur. Si quis enormiter per-